

a se removet *Lib. 5. Cap. 12.* Ubi Aneröestus Sacerdotalem paupertatem professus Pietatem cuilibet, adeoq: & Principi necessariam dicitat, & familiaria Regibus Machiavelli Consilia perstringit, qualia sunt: *Vicinis gentibus disidiorum semina adspargere, ad secretorum prodicionem alios ministros sollicitare, vulgi incommoda non curare, si ea intulerint viri bello utiles &c.* simulq; innuit statum fore felicissimum, si publicis privatisq; negotiis præsent homines sacra hac Philosophia, seu ut rectius loqueremur, Christiana pietate instructi.

LIV. Vereor interim, ne Barclajus frustra hanc admonitionem consumpserit, quod eadem profert Clericus, facili Politicorum s. Laicorum argumento, satis feliciter constitui res mundanas, si Pietatem servet Clerus, callida utilitatis cura relinquatur è mundo nondum egressis.

LV. Sed hæc de Materia nimis amplâ breviter & Stylo prorsus extemporalis proposuisse sufficiat. Si enim digniorem interpretem meruit Scriptor incomparabilis, non tamen injuriam ipsi pudendam intulerit, qui ductis velut ædificii lineis, alios invitet ad ulteriorem operis perfectionem. Et faxit Deus, ne unquam ego de meis Auditoribus ita desperem, quo minus augurari liceat successores me doctiores, gratiores, feliciores, habeatqve Posteritas fructum, quem præsens ætas à me percipere non potest integrum, & omnibus numeris votisq; meis absolutum.

COROLLARIA. Philologicum.

PULchrum est ab Eruditis passim spargi flosculos e Poëtarum carminibus petitos. Sed licet interdum discedere ab Auctoris sensu dummodo respondeat applicatio minus coacta. Nam ne desit exemplum; Juvenalis *Lib. 3. Sat. 7. vers. 194 seq.* ita loquitur.

... -- *Distat enim, quæ*

Sidera te excipiant,

Ubi Sensus quidem est evidentissimus, distare, h. e. multum referre & interesse, quæ constellatio, quis fiderum positus, fe-